

Gerichts- und Kanzleiordnung des Bischofs Marquard von Konstanz aus dem Anfang des 15. Jahrhunderts

Autor(en): **Gottlob, Theodor**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte = Revue d'histoire ecclésiastique suisse**

Band (Jahr): **44 (1950)**

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-127580>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Gerichts- und Kanzleiordnung des Bischofs Marquard von Konstanz aus dem Anfang des 15. Jahrhunderts

Von Theodor GOTTLOB, o. ö. Universitätsprofessor, Freiburg i. Br.

I

Kopialbuch des Generallandesarchivs Karlsruhe nr. 1491 fol. 56 ff.

Marquardus dei et apostolice sedis gratia episcopus Constanciensis, decretorum doctor, universis et singulis advocatis, notariis procuratoribus et aliis nunciis curie nostre Constan. tam presentibus quam futuris, omnibusque presentium inspectoribus salutem in eo, qui est omnium vera salus cum noticia subscriptorum.

Quia omnis caritas ordinaria ab ecclesia incepit et licet curia nostra Constan. per nonnullos predecessores nostros circa negligenciam ac moram iustitie aliosque diversimodos defectus ac alia a tramite rationis et iuris exorbitancia multipliciter fuerint emendata et reformata, quorum tamen emendacio et reformacio satis confuse et obscure forte ex negligencia sacri scrinii et publici custodum ac si in rerum natura umquam producte fuerint, sunt pro parte obfuscata, deperdita nec illa, quae inesse subsunt aliquatenus se auctenticata demonstrantur. Nec etiam si subessent pro plena reformacione sufficerent, quod nulla municipalis iuris sanctio quantumcumque perpenso digesta consilio pro dolor! in nostro consistorio et curia nostra Constan. ad peruersorum nature vanetatem et macbinationes eorundem inoppinabiles sufficit, quia etiam adolescentia humana declinat procliviorum et se promptiorum ad malum potius quam ad bonum extendit, per quod iustitie et bonorum morum subversio in nostra curia frequenter obripit. Idcirco nos, qui dispositione divina ad praesulatus cathedram sumus assumpti, necessaria est nostra auctoritas, ne sanguis delinquentium sub nostra iurisdictione degencium a nobis requiratur, et ut per determinaciones opportune suffragium tollamus ambiguitatem, altercaciones dirimamus, obscura succidamus et curiam nostram et consistorium domino auctorizante in melius reformamus.

Primo statuimus ordinamus et mandamus quod quilibet advocatus, notarius, procurator seu quevis alia persona vicario necnon officiali nostris debitam reverenciam et honorem exhibeat ipsisque obediat quoniam per ipsos figura et ymago nostra demonstratur et designatur, si nostram indignacionem et ultionem grandem effugere voluerit.

- 56v 1. Item statuimus, quod interlocutoria vel diffinitiva lata a Iudice nullus et publice obloquatur, sed si gravatus fuerit, appellet vel protestetur de gravamine, nisi vellet Iudicem in domo sua de meliori informari, alioquin pro singulis vicibus pena unius solidi denariorum Constan. inremissibiliter camere nostre episcopali applicandi aliasque pro sua temeritate puniendus.
2. Item statuimus, volumus et disponimus, quod vicario vel officiali nostris presidentibus omnis strepitus, tumultus atque insolentie cessent, ut ab ipsis plenius in mentis intellectu singula perscrutari, indagari possint rimari, perfici ac adimpleri valeant.
3. Item statuimus et ordinamus quotienscumque et quandocumque Iudex partem principalem seu quemvis aliam personam in Iudicio alloquatur seu petat ad interrogata ipsius responderi, quod tunc omnes sileant et quietem et silentium Iudici preparent. Et si quis aduocatus, notarius, procurator, seu quevis alia persona partem interrogatam quovis quesito colore informet, qualiter iudici responderi debeat vel partem ipsam ne Iudici respondeat, prohibeat, ita etiam, quod Iudex captiose non querat, puniatur prohibens pro qualibet vice pena unius floreni auri aliasque indignationem incurrat.
4. Item statuimus, quod in paruis, leuibus et vilibus causis scilicet infra duas libras Hallensis usualis monete vel eius extimacione, vel si levis, vilis persona existat, puta pauper rusticus agricola aliasque miserabilis persona in discrecione rationabilis iudicis relinquatur, an summarie sit procedendum sine libello et causa breuitatis partes poterunt facere deponere, prout hactenus in paruis causis fieri est consuetum.
- 57 1. Item in aliis causis semper offeratur libellus, nisi iudex de consensu parcium summarie procedere paciatur, nisi essent tales cause, que ex constitutione principum vel sui natura cognitionem summariam requirunt.
2. Item ad obuiandum maliciis litigancium, quia quandoque in summariis causis actore per procuratorem comparente procuratore actoris volente reo dare libellum, reus vel eius procurator dicit nolo libellum, sed volo deponere et hoc petit, ut actor condempnetur in expensas, quia procurator actoris licet sit informatus de libello porrigendo, non tamen est informatus de veritate dicta quod iuramentum prestatur, quando partes mutuo deponunt et tamen in veritate, si actor personaliter fuisset presens, multotiens repertum est procuratorem rei dixisse peto libellum vel terminum ad deliberandum cum parte mea et ad eam adducendum et sic non deposuisset, sed quia videt procuratorem actoris non esse informatum, quod possit deponere huiusmodi, petit ante omnia reus vel procurator eius prestet iuramentum de malicia et si iuraverit, quod propter absentiam actoris hoc non petit, condempnetur actor pro illo termino expense et detur terminus procuratori actoris ad ducendum actorem. Alioquin si non iuraverit reus vel procurator eius sine condempnatione expense assignetur terminus.

3. *Advocatos, qui precem causarum dicantur, requirimus et monemus, ut in causis suis, quas assumpserunt defendendas, sint solliciti clientulos suos defendendos et in executione solarii non excedendo, officiali nostro, cum opus fuerit, in iudicio consedendo et eidem consilia salubria, cum requisiti fuerint, communicando saluo tamen eorum salario competenti, ne causas iniquas et iniustas scienter asumant sibi defendendas et, ubi in processu cause compertum fuerit ipsas causas fuisse et esse iniquas, ipsas usque ad finem instantie parte instante prosequantur, dummodo hoc captiose non faciant. Attamen iniquitatem cause parti declarent.*
1. *Item idem dicimus et volumus de procuratoribus, in quantum officium ipsorum contingit.* 57v
2. *Item statuimus et volumus, quod advocati in causis, in quibus procurantur, dulciter, discrete et moderate pertractent, partes in salariis exigendis et considerata qualitate cause et condicione personarum non plus exigant vel extorqueant, nisi quod dictaverit ordo rationis. Hac¹ quoque officiales curie nostre, qui pro tempore fuerint, singulis angariis advocatis et procuratoribus iniungant sub virtute nobis successoribus nostris prestiti iuramenti. Sed quia vera parcium merita forte cause non considerans laboremque personarum condicionem non attendens se in acto solario grauatum clamaverit, pro moderacione et taxacione huius dubii ad officialem curie nostre Constan. recurrat.*
3. *Item statuimus quod in presentia iudicis primo advocatus seu procurator actoris vel actor ipse personaliter loquatur et sermonem suum peroret et pars adversa uel quevis alia persona maxime illarum quarum nichil interest que frequenter ut a simplicibus circumstanciis per eorum clamorem victores tantum reputentur et amonentur iudicis et astantium aures sordescunt, interim sileat et quietem preparet. Deinde advocatus seu procurator rei uel ipse reus, prout de actore disposuimus, eius replicationem vel responsionem proficiat et nullus alius aduocatus, procurator, notarius in fauorem uel odium alterius quicumque loquatur, si ad hoc non fuit conductus, nisi a iudice fuerit interrogatus et quicumque et quotiescumque secus fecerit, inremissibiliter in duobus solidis denariorum Const. puniatur applicandis camere nostre ut supra.*
4. *Item statuimus, quod nullus in curia Const. nostra procuretur in causis, nisi per nos admissus et electus qui de servanda fidelitate nobis prestare habebit iuramentum.*
1. *Item statuimus et volumus, quod nullus notariorum vel procuratorum consiliis procuratoriis (?) siue quibuscumque vel dictaminibus aduocatorum per nos non electorum et admissorum atque iuratorum nostrorum utatur in iudicio, nisi per advocatos per nos electos et admissos fuerint approbata et ratificata.* 58

¹ Verschrieben statt hoc.

2. Item statuimus et volumus quod circa excepciones dilatorias vltra triplicacionem non procedatur, aduocati vero parcium impertinenter et extra ius deducentes condempnentur in expensas.
3. Item statuimus et volumus, quod proclamator circa iudicium et que iudicium concernunt, procurator seu solicator non existat, sed solum suo stet contentus officio, quod si secus fecerit, actus eo ipso ex certa de causa pro nullo habeatur aliasque pro arbitrio puniatur. Et qualibet hora iudicii ipse proclamator vel suus substitutus una cum iudice in consistorio sit presens.
4. Item nullus citet nisi preco vel notarius aut eorum substituti iurati, quibus fides super execucione sit adhibenda.
5. Item citaciones, que fiunt per proclamatorem vel nuncios consuetos ut supra in ciuitate Constan. uel suburbiis ad domum uel in faciem non ligent, nisi fiant ante inchoacionem pulsus illius hora (!) ad quam citatur et de huiusmodi citacione fides fieri debet relationi citantis vel eius scriptura a tergo citacionis facta, ut hactenus fieri est consuetum.

- 58v
1. Ut aduocati et procuratores curie nostre iudicii cursum absque suspicione pertranseant, statuimus et ordinauimus, ut nullus in causa, quam dirigit, siue sit propria uel aliena, recessum iudicii conscribere possit. Sed eligatur unus ex notariis curie nostre iuratus, qui omnes et singulos huiusmodi recessus conscribat aut per alios scriptos manu sua approbet. Et collacionem actuatorum, antequam iudici ad pronuntiandum siue sententiandum presententur, faciat. Sicque partes contendentes in eundem unanimiter concordent volentes, ut notarius officialis in eodem ministerio, si est ydoneus, computetur. Si vero partes statim et in primo termino non concordauerunt, deputet eum ipse iudex. Et pro quolibet recessu seu eius approbacione ipse notarius non plus capiat nisi duos denarios Constan.
 2. Permittimus et concedimus quod notarius et iuratus alium notarium iuratum vel eius substitutum in quacunque necessitate ad scribendum requiri (!) possit, dummodo ipse principalis requirens se subscribit.
 3. Item quod notarii et eorum substituti per sigilliferum nostrum recipiantur iurati et quod in iuramento includatur et eis injungatur, quod nullus in alterius officium et prejudicium aliquid scribat omni dolo et fraude semotis et quod semper in qualibet scriptura sua ad officium ipsius spectante principalis notarius cum scriptura sua et taxo solarii approbet et se super scribat in hiis videlicet, que taxum consuetum ab antiquo non habent.
 4. Item volumus, quod in iudicio et coram iudice preterquam iudicialia non tractentur. Alioquin tales arbitrio iudicis punientur.
 5. Item statuimus, quod omnes sententie diffinitive registrentur sub breui-logio cum nominacione personarum, parcium et verbis sententie atque data late sententie, pro qua soluantur notario duo denarii Constan.

1. Item quod absolut[iones] pro de¹ confessata, iudicata uel ad inuocationem brachii secularis aut alias ex officio iudicis non transeant in sigillo, nisi signeto iudicis concedentis sit signata. In hiis auctoritate nostra semper salua.
2. Item secunda absolutio sub forma juris non concedatur, nisi de speciali indulto et impetracione iudicis.
3. Item nullus notariorum uel procuratorum in ciuitate Const. uel alio loco, ubi curia nostra Constan. fuerit residens, procuracionem, absolucionem a personis personaliter ad curiam nostram pro absolucionibus impetrandis uenientibus suscipiat, sed ipsas personas ad sigilliferum nostrum remittat, nisi tantum soluere velit, quantum talis persona soluere haberet. Qui noster sigillifer potestatem habeat remittendi ad arbitrium suum et iuxta quod sibi videbitur expedire.
4. Item omnes interpellaciones signentur per iudicem, antequam sigillentur.
5. Item volumus et intentionis nostre existit, quod officii nostri scilicet vicarius, officialis et sigillifer et eorum notarius discrecionem habeant et compacienciam circa pauperes et miserabiles personas in exigendis salariis.
6. Item volumus hunc ordinem et stilum in curia nostra observari, quod post contumaciam transeat in familiam, deinde cibo, potu, deinde accensis candelis, deinde reuelabunt, deinde confirmacio a vicario, deinde comminacio interdicti, deinde erecctio² prima et secunda, deinde interdictum et ad tres dies et non ultra, ut supra dictum est, nisi iudex grauius ex certa causa decreuerit procedendum.

1. Item quod non procedatur super litteris, que per biennium dormitarunt, nisi ex causa racionabili summaria cognicione prehabita a iudice licenciam impetrauerint. 59v
2. Item statuimus quod circa recessus iudiciales, quicquid fuerit de³ alteracionibus parcium seu suorum procuratorum coram iudice disputatum vel allegatum, finalis decisio iudicis et decretum et non alteraciones in recessu ponatur (!).
3. Item statuimus, quod procurator et notarius antiquus (!) taxa circa salaria ipsorum stent contenti.
4. Item ad extirpendis (!) et exterminandas fraudes notariorum, qui quandoque scripturis plus debito extorquent, volumus, ut taxa sui salarii recepti, ubi taxa ex statuto vel consuetudine introducta non existit, in tergo ipsius scripture sit descripta, alioquin a sigillifero lacerentur et non sigilletur (!).

¹ Verschrieben für re.

² Verschrieben statt eiccio.

³ de steht zweimal.

5. Item statuimus, quod nullus advocatus, notarius vel procurator seu queuis alia persona causam seu litem agitans super quota litis uel super expensis ipsius uel quolibet alio litis seu cause accessorio neque pro nomine palmarii eiunccionis ¹ aliquid sibi detur cum parte uel cum aliquo alio paciscetur uel quouismodo conueniat nec cessionem cause a partibus capiat. Alioquin cessio ipsa sit nulla, sed solummodo suo salario antiquo et per iudicem iuxta precedentia statuta taxando stet contentus, nisi ex spontanea et libera voluntate aliquid post euiccionem pars ei ² super addiderit. De contrario vero euicti tamquam infames et periuri habitantur. Et nichilominus ad ³ arbitrium nostrum pena peccuniaria mulctentur.

- 60
1. Item quia quamplures scolares sacerdotes necnon quidam ydiote in stilo curie grammatica, orthographia minime instructi litteras citatorias, agrauatorias processus et alia acta in preiudicium et scandalum non modicum scribunt et ingrossant, volumus et statuimus, quod nullae litterae citatorie, agrauatorie processus, littere prouisionis, dispensationis uel alias, quouiscumque nomine uocentur et appellantur, ingrossando scribantur nisi per notarios curie nostre ut supra electos et eorum substitutos iuratos subscriptas et signatas. Alioquin nulla fides in sigillo et iudicio eis adhibeatur nec sigillentur.
 2. Item quod alii praeterquam notarii et eorum substituti iurati iuxta modum et formam supratraditas quicquam scribendo ingrossent neque a iudicibus nostris recipiatur ingrossatum uel conscriptum nec a sigillifero sigilletur, non tamen prohibemus iam scriptura seu dictamen aduocati per ipsum uel suum scolarem conscripta possit iudici offerri, dummodo postea per notarium iuratum ut supra electum ingrossetur, siue aduocato commoretur siue non.
 3. Item quod de cetero scripture in pappiro contra formam et consuetudinem curie tamquam rotoli actis pergamineis non appendantur.
 4. Item quod semper collacio actitatorum actoris et rei, antequam iudici presententur ad pronuntiandum, fiat et quod notarius cause electus collacionem esse factam manu sua propria in actis scribat et tunc acti iudici presententur.
 5. Item quelibet scriptura, puta libellus, posiciones, petitiones, articuli in integrum restitutionis, exceptiones, replicationes, duplicationes etc. et queuis alia scriptura iudici porrigenda preter citationes, aggrauationes processus et consilia sint ⁴ manu aduocati signata et subscripta a iudice laceretur, non recipiatur nec a sigillifero sigilletur.

¹ Wohl verschrieben für euiccionis. Vor euiccionis über der Zeile et?

² In B deutlich er.

³ ad über der Zeile.

⁴ Wohl verschrieben statt sine.

1. Item statuimus, quod nullus notarius uel procurator in causa, cuius summa ultra extimacionem duarum marcharum argenti libellum faciat, sed ad aduocatum peritum cum parte accedat, alioquin aduocatus sub pena duorum aureorum libellum non concipiat, nisi forsans pars ex causa rationali adesse non poterit et hoc notarius uel procurator verum esse asserat, quod si assercio ipsius notarii uel procuratoris ueritati non subsisteret procul dubio, declaramus ipsum notarium uel procuratorem in periurium vigore huius statuti incidisse et infamie notatum. 60v
2. Item idem per omnia fieri volumus in matrimonialibus et aliis arduis causis, puta beneficialibus, spiritualibus, que exercitationem non recipiunt et in accusationibus et inquisitionibus, maxime ubi ad partium instantiam proceditur, si aliis quouismodo actiones uel processus nomine censeantur, nisi partes propter paupertatem uel alia causa¹ rationabili ad advocatos recursum habere non valerent.
3. Quid ad auditum nostrum non sine graui displicentia sepius pereuenit, quod nonnulli latores, procuratores litterarum circa emissionem, executionem et presentacionem eorundem infinitas fraudes, insolencias sordes decepcionesque committunt, per que pauperes exulantur, diuites facultatibus exhauruntur, nobiles civitates aliaque loca et subditi nostre dyocesis non modicum grauantur necnon plurima scandala alia exinde oriuntur, ad quorum quidem reformationem voluntarios labores appetimus et noctes ducimus insomnes, ut subditis nostris circa predicta quietem preparemus et causa infrascriptorum statutorum condendorum obmittimus, ne ex narratione facti maliuolis modum nephandi exercicii informemus.

1. Volumus igitur, ut deinceps in ciuitate Constan. uel alibi, ubi forte consistorium nostrum esse contigerit, sex sint nuncii seu portatores litterarum iurati, quibus in executione litterarum fides debetur adhiberi. Per hoc tamen non tollimus, quin per alios executio fieri possit, dummodo de executione, si in dubium verteretur, fides fiat. 61
2. Item statuimus et volumus, quod nomine (!) cuiuslibet nuncii iurati, qui litteras curie nostre sunt executi², singulis litteris superscribatur, ut, si dubium de executione emergerit, de nomine exequentis possit constare.
3. Item statuimus et volumus, quod nullis³ notariorum uel procuratorum faciat sibi expensas confiteri uel procuret sibi illas cedi, alias irrita fit cessio et actio; si secus fecerit, una marcha argenti ad cameram nostram episcopalem soluendam mulctetur.
4. Item volumus et statuimus, quod nullus notariorum uel procuratorum litteras in toto solutas sibi retineat, sed eo ipso parti luenti et peccunias

¹ In B casa ohne Kürzungszeichen.

² Verschrieben statt executi.

³ Verschrieben statt nullus.

soluente restituat, sed si pars pecunie soluatur causa ¹ soluente, notarius iuris accedat signaturus quotam solucionis. Et hoc notarius faciat gratis, alioquin sententiam excommunicationis incurrat extunc ipso facto et nichilominus infamis efficiatur et arbitrio nostro puniatur.

5. Statuimus insuper et ordinamus, ut singuli decani nostre diocesis in particularibus eorum conuocationibus capitularibus dicant et iniungant nomine nostro ac sub pena suspensionis ab officio late sentencie districte precipiant uniuersis ipsorum confratribus, ut litteras nostras et officialium nostrorum reuerenter recipiant et fideliter exequentur et latorem aliquatenus non prodant eciam sub excommunicationis pena late sentencie in rebelles.

61v 1. Et nichilominus singulis diebus dominicis et festiuis, quibus execuciones litterarum fieri consueuerunt, a sacrista et cetera familia sua ante ingressum ad diuina diligenter investigent, an aliqua de premissis eis sint litterae presentate volentes et decernentes, ut nostris iuratis nunciis super huiusmodi litterarum presentacione detur plena fides, et si super execucione coram mandatore dubium ortum fuerit, ipse rector uel plebanus partis lese ad interesse teneatur, nisi iusta causa a iudice accepta subsistat.

2. Item quod postposita petitione copiarum litterarum et tradicionem, ne pars maliciose expensis vexetur et finis litibus imponatur, statim ad probacionem execucionis descendatur. Sed si exceptio de alio, quam de execucione emerit, in arbitrio iudicis erit, an sit copia decernenda.

3. Item volumus et statuimus, quod, quandocumque pars rea excipiat contra execucionem litterarum, quin ante omnia, nisi iudici ex causa rationabili contrarium fieri videatur, excipiens iuramentum de malicia prestet necnon procurator ipsam maliciose informans penam arbitriam a nobis inponendam incurrat.

4. Item quia procuratores litterarum, ut expense pauperibus et aliis astant, valde precipitant, preparant et velocitant in procedendo et agrauando, volumus et statuimus, ut sententia interdicti post recessum tridui se non extendat, nisi causa rationabili (!) nos uel in absentia nostra vicarium uel officialem nostros mouerit alterius excedendum.

5. Item nulla sententia interdicti in ecclesiam parrochiam seu quemvis alium locum ponatur nec sigilletur, nisi sit manu notarii curie nostre iurati subscriptum et cum signo vicarii uel officialis nostri, si idem ad interdictum procedendum duxerit, signatum.

62 1. Item in qualibet aggrauacione fienda sit interuallum quattuordecim dierum, nisi iudex ex aliqua alia rationabili causa aliter duxerit procedendum.

¹ Unsicher.

2. Item nullus notarius simul et semel duas aggrauaciones aut plures in una littera scribat et ponat nisi licencia iudicis super eo impetrata et obtenta.
3. Item statuimus, quod omnis execucio litterarum fienda per plebanos fiat in parrochia ipsius rea (!) seu illius, contra quem proceditur, et hoc in ecclesia parrochiali, nisi ex causa rationabili forte propter metum uel alia causa rationabili fieret in parrochia vicina. Ita tamen, quod verisimiliter ad noticiam rei seu illius, contra quem proceditur, perueniat.
4. Item graue et dolendum valde gerimus, quod nonnulli procuratores ac eciam laici non litterati aliique quamplures diebus consistorialibus, a quibus iudex presidet, conuenticulas admodum consistorii, ymo potius distorii in domibus ipsorum tenent et ibi pauperes, quos quandoque sine causa ad iudicium vocant per uerba nephanda ac conminatoria inducunt et coarctant, ut sine causa nec aliqua obligatione prehabita cum eis componant, quiquidem pauperes timidi et tremulenti potius vellent fundos deputatos eis colere aliaque opera manualia et rustica exercenda quam ad inquietatem nephandorum per iudicia sine causa discurrere, se cum ipsis componunt et complanant pro certa summa peccunie, ut eorum vexaciones redimant. Idcirco huiusmodi consistoria penitus prohibemus et volumus, ut tales a iudice nostro uel notariis electis et iuratis supradictis complanentur, si res dubia existat uel iusticie complementum eis summarie, eciam sine scripturis, si iudici videatur, administretur. Sed tamen finalis sententia in actis redatur, ut ipsi imposterum non inquietentur. Alioquin complanationes nephande ut predicatur facte roboris effectum non subsistant, in hiis delinquentes, quociens hoc fecerint, penam unius marche argenti irremissibiliter incursum, cuius summe quinta pars parti accusanti applicetur.

1. Item statuimus, ut clausuram loci consistorialis nemo subintret nisi 62v
advocati et notarii iurati uel eorum substituti, nisi essent circumspecte persone, quas iudex ob reuerentiam ad se interdum aduocat. Sed semper tempore consistorii tribunal iudicis clausum teneatur, circa hoc prouideat officium proclamatorum; poterit tamen notarius iuratus clauem habere, si vult, ut ipsum locum subintrare valeat et exire.
2. Item statuimus et ordinamus, quod ad officium examinacionis apta et condecens, experta, discreta et mansueta persona deputetur.
3. Item idem examinador officium procuracionis non gerat nec exerceat.
4. Item quoniam propter distanciam locorum et latitudinem nostre diocesis in causis matrimonialibus, que non inmerito inter maiores annumerantur, quas tamen plus decet in curia nostra examinari, in aliisque causis sepe contingit examine testium ad partes conmitti, ubi pauperes degunt uel in loco viciniori, ad quem congruentius meare et se transferre poterunt et multociens generales commissarii deputati necnon etiam et speciales odii, fauoris lucrique causa in ipso examine colludunt, testes conscribunt ad sui libram in aliisque pluries delinquent, ut saltem

adhibeamus curam, quam quilibet diligens paterfamilias adhibere studet, statuimus et ordinamus, ut quilibet ipsorum in arte examinis sit peritus secumque habeat unum notarium, qui scribat uel saltem propter defectum notarii unum uel duos ydoneos viros, ut omnis suspicio collusionis cesset, ad examen parcium et testium adhibeat et sibi associet.

- 63
1. Item quod huiusmodi commissiones conscribantur per notarium iudicis, quem eiam volumus habere registratos omnes commissarios generales, aduocatos, procuratores, notarios curie nostre electos et juratos.
 2. Item per premissa statuta nolumus nec intendimus derogare officiis nostrorum vicarii et officialis, sed volumus A ¹ intencionis nostre existit, quod ipsorum notarii litteras illas, quas alias conscribere ex antiquo consueuerunt, scribant et non alii notarii.
 3. Item nolumus per premissa statuta predecessorum nostrorum statutis, in quantum iuri non sunt contraria et alias conforma sunt rationi et presentibus nostris statutis non repungnancia, aliquatenus derogare.
 4. Item statuimus et ordinamus, quod quilibet aduocatus, notarius vel procurator contra premissorum statutorum aliquod, que penam specialem appositam non habent, in aliqua parte venerit et contra fecerit, per nos pena condigna ad nostrum arbitrium mulctetur et pene condigne subiaceat.
 5. Item reseruamus nobis expresse potestatem et auctoritatem premissa statuta et quodlibet ipsorum corrigendi, minuendi, mutandi, declarandi, limitandi, prout nobis iuxta cursus temporis seu alias quomodo libet videbitur expedire et cetera.

II

Gerichtliche Formulare

f. 68 In nomine domini amen. Incipit formularius litterarum et processuum curie Const[anciensis] iuxta consuetum stilum eiusdem et prout ab ea fulmantur.

Citatio

Officialis curie Const. plebano tali ceterisque salutem in domino. Mandamus vobis, quatenus talem vel tales citetis in chorum Const. ad feriam talem proxima hora primarum quorum talis uel talium finaliter responsurus. Datum XVII. kalendas januarii.

Contumacia

Offic. etc. plebano tali ceterisque salutem in domino. Quia talis citatus in chorum Const. ad feriam talem coram nobis ad instanciam talis uel

¹ Verschrieben statt et ?

talium non comparuit nec pro se misit, vobis mandamus, quatenus ipsum uel ipsos, quem uel quos pro contumacia monicione tua octo dierum premissa presentibus excommunicamus excommunicatum publicetis. Dat.

Forma aggrauacionis, que in familiam dicitur

Offic. etc. plebano tali ceterisque salutem in domino. Quia talis sententiam excommunicacionis in se latam a nobis pro contumacia uel re iudicata ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus uxorem, familiam, colonos et inquilinos ipsius, quos propter hoc presentibus a diuinis excludimus, exclusos publicetis. Dat. etc.

Forma aggrauationis cibi et potus

Offic. etc. plebano tali ceterisque salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se et interdicti in uxorem, familiam, colonos et inquilinos ipsius latas a nobis pro contumacia vel re iudicata ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus omnibus vestris subditis inhibeatis, ne quis eidem vel eisdem communicet cibo, potu, furno, foro, molendino seu quauis alia communione a lege uel canone non concessa. Dat.

Forma aggrauacionis, que accensis candelis nuncupatur

Offic. etc. plebano tali ceterisque salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se et interdicti in uxorem familiam, colonos etc. ipsius necnon communionis generalis inhibicionis latas a nobis pro contumacia ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus omnes et singulas sententias supra dictas accensis candelis, pulsatis campanis singulis diebus dominicis et festiuis infra missarum solempnia et in presencia populi tempore diuinorum solempniter publicetis. Datum.

Forma aggrauacionis que reuelabunt intitulantur

Offic. etc. plebano tali ceterisque salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se et interdicti in uxorem, familiam etc. ipsius necnon inhibicionis communionis generalis cum denunciacione earundem accensis candelis, pulsatis campanis singulis diebus dominicis et festiuis etc. dudum latas a nobis pro contumacia seu re iudicata temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus omnes et singulas sententias predictas, quas presentibus innouamus, innouatas publicetis cantando responsorium reuelabunt coeli etc.¹ et psalmum Deus laudem meam² etc. f. 68v

Deinde vero vicarius prescriptos processus et sententias domini officialis ulterius exsequendo confirmando et contra illos, qui in huiusmodi sententiis sordere non formidant, ad ulteriora procavendo in modum infrascriptum procedit. Et primo sententias huiusmodi domini officialis confirmat et scribit in hunc modum.

¹ Job 20, 27 : reuelabunt coeli iniquitatem ejus.

² Ps. 108, einer der sog. Fluchpsalmen.

Forma que confirmacio nuncupatur

Vicarius etc. dilecto in Christo plebano tali ceterisque salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se necnon interdicti in uxorem, familiam, colonos et inquilinos ipsius cum inhibicione communionis generalis et denunciacione earundem videlicet accensis candelis, pulsatis campanis ac eciam innouacione earundem cum decantacione responsorii revelabunt cœli etc. dudum latas ab honorabili domino officiali curie constancien. pro contumacia uel re iudicata ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus simpliciter scribendo. Si autem debet edici pena, tunc scribitur sic. Vobis et cuilibet vestrum tenore presencium in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam in vos et quemlibet vestrum nostris in hac parte mandatis contumaciter non parentem canonica tamen monicione trium dierum premissa ferimus, in hiis scriptis firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus prescriptas sententias omnes et singulas, quas prout per ordinem late sunt, auctoritate nostra ordinaria confirmamus et approbamus in hiis scriptis, confirmatas et approbatas publicetis et obseruetis et publicatas obseruetis, prout dei, canonicam atque nostram effugere volueritis ulcionem. Dat. etc.

Forma comminacionis interdicti

Vicarius etc. plebano tali nobis in Christo dilecto ceterisque salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se cum omnibus aggrauacionibus et pluribus processibus subsecutis dudum latas et innouatas ab hon. domino officiali curie Const. pro contumacia seu pro re iudicata et per nos confirmatas ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus prefatum reum excommunicatum diligenter moneatis, quem et nos presentibus amonemus, ut adhuc infra quindenam proximam a tempore monicionis vestre se ab huiusmodi dicti domini officialis atque nostris penis et sentenciis condigne absolui procuret et iuri parere studeat. Alioquin contra ipsum reum ad interdicti ecclesiastici penas et sententias in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus fuerit, ad que et quas deuenit et quamdiu fuerit in eisdem, procul dubio procedemus. Datum.

Forma interdicti

f. 69 Vicarius etc. dilecto in Christo plebano tali ceterisque, ad quos presentes peruenerint, salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se pluribus aggrauacionibus subsecutis dudum latas ab hon. domino officiali etc. pro contumacia uel re iudicata et per nos confirmatas cum comminacione de interdicto ferendo ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus prefatum reum ut sic excommunicatum diligenter moneatis, quem et nos presentibus amonemus, ut se adhuc a dictis sentenciis condigne absolui procuret et iuri parere studeat infra vestre monicionis proximos decem dies. Alioquin loca et ecclesiarum parrochias, in quibus moram traxerit, ad que uel quas deuenit et quamdiu in eisdem fuerit, que et quas propter hoc ecclesiastico subicimus interdicto, interdicta et interdictas publicetis, cessantes cessari facientes in eisdem apertis ianuis et in presencia populi per modum aggrauacionis a diuinis. Dat. etc.

Forma prime eieccionis

Vicarius etc. plebano tali etc. salutem in domino. Quia talis sententias excommunicacionis in se cum omnibus aggrauacionibus subsecutis dudum latas et innouaciones ab hon. domino officiali pro contumacia etc. et per nos confirmatas eciam cum comminatione de interdicto ferendo subsecutas ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus prouidos et discretos viros aduocatam, scultetum, consules, iudices et ministros atque potenciores talis loci diligenter moneatis, quos et nos presentibus amonemus, ut infra decem dies proximos a tempore vestre monicionis prefatum excommunicatum ab ipsorum consorcio, ciuilegio et communione ac extra bannos iurisdiccioni ipsorum tamquam ouem morbidam et fetidam eiceant et excludant, ne per ipsum tamquam ouem morbidam et fetidam totus grex christifidelium inficiatur. Alioquin contra ipsos per excommunicacionis sententias procul dubio procedemus.

Secunde eieccionis forma

Vicarius etc. plebano in tali loco salutem in domino. Licet nos iam pridem monuerimus et moneri mandauerimus prouidos et discretos viros aduocatam etc. atque potenciores talis loci, ut infra temporis certum spacium in nostris litteris expressum talem a nobis multipliciter aggrauatum et excommunicatum pro contumacia ad instanciam talis ab ipsorum consorcio, communione et ciuilegio ac extra bannos iurisdiccioni ipsorum tamquam ouem morbidam et fetidam eicerent et excluderent, alioquin contra ipsos per excommunicacionis sententias procedere vellemus. Quia cum iidem moniti huiusmodi nostris monitis et mandatis parere contumaciter recusarunt, vobis mandamus, quatenus eosdem aduocatam, scultetum, consules, iudices et ministros atque potenciores talis loci iterato diligenter moneatis, quos et nos presentibus amonemus, ut adhuc prefatum excommunicatum ab ipsorum consorcio, ciuilegio et communione ac extra bannos iurisdiccioni ipsorum tamquam ouem morbidam et fetidam eciamque excludant, ne per ipsum tamquam ut sic ouem morbidam totus grex christifidelium inficiatur. Alioquin contra ipsos per excommunicacionis sententias licet initi¹ procul dubio procedemus. Dat. etc.

Noua forma bona et optima prout in ipsius tenore apparebit

Vicarius etc. prouidis et discretis viris magistro ciuium, sculteto, consu- f. 69v
libus, ministris et potencioribus talis loci salutem in domino. Cum nos iam tempore seruatis seruandis contra talem per varias et multiplices excommunicacionis et aggrauacionum sententias eius exigente contumacia et iuxta tenorem processuum nostrorum ad instanciam talis processerimus, cumque deinde vos bina vice monuerimus et moneri mandauerimus, ut eundem excommunicatum et multipliciter aggrauatum ab ipsorum consorcio, ciuilegio et communione et extra bannos iurisdiccioni ipsorum tamquam ouem morbidam et fetidam eiceretis et excluderetis, ne per

¹ Verschrieben statt inuiti ?

ipsum totus grex christifidelium inficiatur, vos tamen huiusmodi nostra monita et mandata temere vilipendistis nec eisdem hactenus parere curastis, propter quod contra ipsum excommunicatum reum ad interdicti ecclesiastici penas et contra vos per excommunicacionis sentencias procedere possemus, hinc est quod vos in nostre iurisdictionis subsidium iterum requirimus et hortamur ex affectu, quatenus prefatum reum adeo multipliciter excommunicatum et aggrauatum adhuc a vestro consorcio, ciuilegio, communione et extra bannos iurisdictionis vestre tamquam ouem morbidam eiciatis et excludatis, ne per ipsum totus grex christifidelium inficiatur. Alioquin contra prefatum reum ad interdicti ecclesiastici penas et sentencias in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus moram traxerit, ad que et quas peruenerit et quamdiu fuerit in eisdem, licet initi¹ procul dubio procedemus. Ceterum tibi plebano talis loci mandamus quatenus prefatos tales et alios prescriptos accedas ipsisque hunc nostrum presentem processum omniaque et singula in eis contenta fideliter et diligenter exponatis et intimetis et taliter, quod nullam penitus in premissis ignorancie causam pretendere valeant uel allegare. Dat. etc.

Forma aggrauacionis interdicti

Vicarius etc. plebano in tali loco ceterisque, ad quos presentes peruenerint, salutem in domino. Quia talis sentencias excommunicacionis in se cum omnibus aggrauacionibus subsecutis necnon interdicti ecclesiastici sentencias in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus fuerit, moram traxerit, ad que et quas deuenerit et quamdiu in eisdem fuerit, latas a nobis iuxta tenorem processuum nostrorum et pro ipsius contumacia etc. ad instanciam talis temere vilipendit, vobis mandamus, quatenus omnes et singulas sentencias nostras supradictas, prout per ordinem late sunt, quas presentibus auctoritate nostra ordinaria approbamus, confirmamus et innouamus, approbatas, confirmatas et innouatas publicetis, cessantes et cessari facientes in eisdem per unum diem continuum post ipsius recessum a diuinis, nam ipsas ecclesias, ipsarumque loca et parrochias in hunc modum : per modum aggrauacionis ecclesiastico in hiis scriptis subicimus interdicto. Dat.

Forma interdicti ad duos dies

f. 70 Vicarius etc. plebano in tali loco ceterisque etc. salutem in domino. Quia talis sentencias excommunicacionis in se cum omnibus aggrauacionibus et pluribus processibus subsecutis necnon interdicti in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus idem reus moram traxerit, ad que et quas deuenerit et quamdiu in eisdem fuerit et eciam post ipsius recessum per unum diem continuum latas a nobis pro contumacia etc. ad instanciam talis temere vilipendit et sustinet animo suo miserabiliter indurato, vobis mandamus, quatenus omnes et singulas sentencias supradictas, prout late sunt, quas auctoritate nostra ordinaria confirmamus, approbamus et innouamus, confirmatas, approbatas et innouatas solempniter publicetis cessantes et cessari facientes in eisdem locis et ecclesiarum parrochiis nedum post ipsius

¹ Verschrieben statt inuiti ?

recessum per unum diem verum eciam post ipsius recessum per duos dies integros et continuos a diuinis, nam ipsa loca et ecclesiarum parrochias in hunc modum: priores nostras sententias aggrauando ecclesiastico in hiis scriptis subicimus interdicto. Dat. etc.

Et notandum, quod omnes alie aggrauaciones, que seruntur interdictum, ut puta aggrauaciones interdicti per tres, quatuor, quinque, sex, septem et plures dies, formantur secundum formam proxime prescriptam et eadem erit forma cuiuslibet aggrauacionis cum illa uel ¹ addito uel mutato nisi quod videre et considerare habet, per quot dies sit processum in aggrauacione aggrauanda et hec narrare in aggrauacione subsequenda et isto considerato omnes alie aggrauaciones siue formae similes erunt huic proxime prescripte et sic habetur hic et comprehenditur secundum communem stilum curie Const. et consueto proceditur contra contumaces.

Si autem quis absoluitur sub forma iuris ad certum terminum et in illo termino non comparuit nec iuri paruit, parte agente et comparente retruditur in pristinas sententias in hunc modum.

Forma retrusionis

Vicarius etc. dilecto in Christo plebano in tali loco ceterisque etc. salutem in domino. Quia talis absolutus a nobis a sententiis excommunicacionis cum aggrauacionibus subsecutis per nos in eundem pro contumacia ad instanciam talis latis et hac sub forma iuris ad feriam talem non comparuit nec pro se misit seu iuri parere curauit, vobis mandamus, quatenus ipsum, quem propter hoc in omnes et singulas pristinas sententias, quibus antea ad instanciam prescripti actoris fuit innodatus, retrudendum duximus et retrudimus hiis in scriptis, retrusum publicetis et habeatis. Dat.

Forma absolucionis sub forma iuris sub minori sigillo

Officialis curie Const. plebano tali salutem in domino. Mandamus, quatenus f 70v recepta caucione ydonea a tali excommunicato a nobis ad instanciam talis, quod feria tali iuri pareat coram nobis et eundem terminum tempestiue preintimet actori prefato, ipsum, quem ab excommunicacionis cum subsecutarum aggrauacionum sententiis absoluiamus hiis in scriptis, si late sint pro contumacia, publicetis absolutum. Dat. etc.

Forma absolucionis sub maiori sigillo sentencie interdicto

Vicarius etc. plebano tali ceterisque salutem in domino. Mandamus vobis, quatenus recepta caucione ydonea a tali, quod feria tali iuri pareat coram nobis et eundem terminum tempestiue preintimet tali, ipsum, quem ab excommunicacionis cum subsecutarum aggrauacionum sententiis tam per nos quam per honorabilem virum dominum officialem curie Const. latis absoluiamus hiis in scriptis, si late sint pro contumacia, publicetis absolutum. Datum.

¹ In B: inl., verschrieben?

Forma absolucionis sub minori sigillo pro satisfaccione

Officialis curie Const. plebano tali ceterisque salutem in domino. Si vobis constiterit, quod talis satisfecerit tali de petitis, vobis mandamus, quatenus ipsum, quem ab excommunicationis cum subsecutarum aggrauacionum sentenciis absoluimus hiis in scriptis, publicetis. Si autem iudici constaret de satisfaccione, sic scribi debetur. Quia talis satisfecerit tali de petitis, tibi mandamus etc.

Forma absolucionis pro satisfaccione sub maiori cum interdicto

Vicarius etc. plebano tali salutem in domino. Si tibi constiterit euidenter, quod talis satisfecerit tali de petitis tibi mandamus, quatenus eundem talem, quem ab excommunicationis cum subsecutarum aggrauacionum sentenciis absoluimus, interdicti quoque ecclesiastici penas et sentencias et sentencias in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus idem talis fuerit etc., latas in dei nomine auctoritate nostra ordinaria tollimus et relaxamus hiis in scriptis, absolutum et relaxatas ac publicatas habeas et publices. Datum.

Forma suspensionis interdicti

ad tempus sentencie absolucionis persone ex officio

f. 71 Vicarius etc. plebano tali etc. salutem in domino. Effectum processuum et sentenciarum interdicti ecclesiastici per nos contra talem in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus reus fuerit etc. ad instanciam talis latorum seu lati ex officio nostro et ex causis nobis expositis nosque ad hoc mouentibus ab hinc usque ad tale festum seu ad talem terminum in dei nomine auctoritate nostra ordinaria suspendendum duximus et suspendimus in hiis scriptis. Ita tamen quod lapso dicto festo seu termino idem interdictum sine omni aliarum literarum quarumcumque emissionem in robur suum pristinum reuertantur et pristinum sociatur effectum. Vobis mandamus, quatenus per nos sic factum esse publicetis et habeatis. Dat.

Forma absolucionis persone et relaxacionis interdicti ad tempus sub spe pacis et amicabilis composicionis et de consensu actoris

Vicarius etc. plebano tali salutem. Talem a nobis excommunicatum et aggrauatum pro contumacia siue re iudicata ad instanciam talis de consensu eiusdem actoris sub spe pacis et amicabilis composicionis et omnimodo satisfaccionis abhinc usque ad talem terminum in dei nomine auctoritate nostra ordinaria absoluendum duximus et absoluimus, interdicti quoque ecclesiastici penas et sentencias in loca et ecclesiarum parrochias, in quibus idem talis foret etc., tollimus et relaxamus hiis in scriptis absolutum et relaxatum atque sublatum publicetis et habeatis. Ita tamen, quod si medio tempore satisfaccio seu amicabilis composicio non interuenierit, extunc lapso dicto termino idem reus in omnes et singulas pristinas sentencias, quibus antea ad instanciam dicti actoris fuerit innodatus, relabatur et presentibus sit retrusus. Interdictum suum pristinum sociatur effectum nullo alio mandato a nobis desuper expectato aut obtento. Vobis mandamus, quatenus per nos sic factum esse publicetis.

Forma indulti,

quod non obstante interdicto aliquis interesse possit diuinis officiis

Vicarius etc. tali nobili salutem in domino. Ut non obstante interdicto, quocumque per nos in ecclesiam talem ipsius parrochie contra personas quascumque ex causis quibuscumque et ad instanciam personarum quarumcumque auctoritate nostra ordinaria lato seu ferendo tu una cum tot personis seu tantis familiaribus tuis domesticis et aliis personis, quas tecum duxeris eligendas, diuinis interesse possitis officiis, dummodo tu uel dicte persone excommunicati non sitis nec causa de dictis interdicto aliudque canonicum non obsistat, et ut plebanus et alii presbiteri eiusdem ecclesie te et eosdem eisdem diuinis officiis astare et interesse permittere possint, tibi atque eisdem tenore presencium auctoritate qua supra concedimus et indulgemus. Nam huiusmodi interdictum, quo ad premissa tollimus et relaxamus harum serie litterarum presentibus nostris litteris per unum continue valituris. Dat. etc.